TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

HYDROCEPHALO.

AUCTORE HENRICO DE LEON.

Hic morbus, a cunctis medicis auctoribus in duas species, nominatim, chronicam et acutam, dividitur. Imprimis de chronicâ specie perpauca verba habere mihi est in animo. Est ea aquosae collectionis species, quae, suturis hiantibus, diutiùs quam alia inveterat. In quâ vel intra omnes cerebri ventriculos, vel inter externam cerebri faciem, et ejus intimam tunicam limpidus praeter naturam li-

quor colligitur. Praeterea neque aquam inter membranas, neque inter duram matrem et os colligi, in silentio medici scriptores transiverunt. Quod genus postremum veteres, aquam inter ventriculos nunquam effundi pro certo habentes, semper accidisse existimaverunt. Insuper his singulis jam commemoratis eam laticis effusionem, quae nunc inter cutem et pericranium, nunc inter pericranium et os evenit, conditores antiquissimi pro hydrocephalo habere solebant, et hoc quidem genus externum, illud autem internum, nominabant. Gaudelius de sacco permagno intra ipsam substantiam cerebri aquoso mentionem fecit, atque hunc ab uno duntaxat viro hactenus repertum esse affirmat. Haec morbi species signis manifestis facillimè distinguenda est.

Facies pallet, oculi prominent, illachrymant, obtutu fixo haerent, vel in orbem torquentur. Pupilla dilatatur: iris, lucernâ ad-

motâ, lentè se contrahit; somnolentia atque marcor inexpugnabilis, pulsus celer et inaequalis est; digestio deturbatur; digiti arctè contrahuntur; pollice introverso; alvus nunc astringitur, nunc solvitur; capilli capitis non ubertim egerminant, aliquando venae capitis magnopere tument, illaeque etiam in faciem abdominis externam serpentes, * nonnullis in exemplis, aequaliter tument; os continuò salivat. In recto situ caput tenere penè nullus prae ipsius gravitate omninò valet.

Subindè rotatio capitis, in quibusdam exemplis aeger motu capitis subito contractione nervorum corripitur. Plerique quidem convulsionibus, cùm totius corporis, tum membrorum, simul cum morbo gravissimè vexantur. Doctor Rush de tribus aegris, qui ad decem annos pervenerant, et neque ambulare, neque

---

* Bedingfield's Compendium of Medical Practice.

in situ erecto corpus tenere potuerant, mentionem fecit. Caput increscit, et interdum ita magnoperè distenditur, ut duplò, triplò, et etiam ampliùs naturali magnitudine praestet. Suturae hiant, per quas interdum tumores molles et fluctuantes, aquâ inter duram matrem et cranium interpositâ, admodùm prominent. Coindet dicit se exemplum vidisse, quo somnolentia atque pupillae dilatatio, tumore manu compresso, acciderunt, et usque dum compressio adfuisset, perstiterunt. Aurivillius primus notavit, totam calvariam, multis ossiculis, in medio fere omnium suturarum, inter sese conjunctis, ubique prorsus occlusam fuisse. Quam plurima ossa Wormiana cranium saepissimè exhibere plurimi auctores nos certiores fecerunt. Caput aliquando sensim increscit, frequentiùs autem ad quandam magnitudinem accedit, et posteà multò segnius sese expandit. Ossa ipsa capitis nonnullis in aegris ita magnoperè extenuantur, ut etiam pelluceant, atque ut per ea

sinus durae matris cerebrumque, lumine e regione posito, planè conspici queant. Hoc mihi videtur fieri, vel quòd vasa absorbentia, a compressione excitata, plus aequo vigeant, vel quòd arteriae nutrimentum ossibus perparcè suppeditent. Aliquando contrà ossa multò crassiora fiunt. Aliqui spinâ bifidâ sive congenitâ, sive posthac apparente, simul laborant; quod plerique auctores hâc ratione explicare conati sunt. Liquor in ventriculis cerebri lateralibus stillans et increscens, per foramen Monroianum fertur, atque ex tertio in quartum ventriculum per aquaeductum Sylvii dilabitur, tandemque ex hoc viam sibi in vertebrarum canalem sensim aperit. Haec quidem ratio, utpote planè mechanica, haud mihi placet, multò autem magis verisimile videtur, spinam bifidam ex eâdem causâ ac hydroçephalum chronicum exoriri.

Aliquando dotes animi prorsùs incolumes conservantur, saepiùs autem vis mentis lan-

guescit; omnes musculi tabescunt, et aegri denique marasmo vel convulsionibus confecti, morti succumbunt. Tempus vivendi in multis aegris multùm variat. Doctor Monro in praelectionibus suis refert, se quendam vidisse, qui quadraginta et quinque annos hoc morbo laboraverat. Aurivillius quoque simile exemplum enarrat. Infantes, qui hoc morbo pertentati nascuntur, diutiùs quam qui post partum corripiuntur, plerumque vivunt. Hic morbus, ut mihi videtur, ex his tribus causis internis, vel seorsim, vel conjunctim praecipuè oritur; nempe vel ex actione exhalantium vasorum omninò ac perversè depravatâ, vel ex quâdam latente cerebrum versus sanguinis derivatione, vel ex vasis absorbentibus ita deturbatis, ut non muneribus suis perfungi possint. Quaevis harum causarum singulatim morbum citò ferre valet. Hinc quodcunque ortui harum favet, cerebrum huic malo reddat opportunum, et quidquid obicem sanguini in ejus

cursu aliquem objicit, exhalantibus vasis indè admodùm refertis, exhalationem vaporis plus justò auctam expedire valet. Hoc modo ex-ostoses cranii, tumores in cerebro crescentes, et alia hujusmodi morbum saepè generant. Quidquid munera absorbentium vasorum subvertit, morbum movet. Hinc morbus ex obstructione glandularum cervicis, quâ fluxus lymphae a cerebro impeditur, exoriatur.

Casus, ictus, et quodcunque cerebrum con-quassat, in causas hujus mali justò inseruntur. Exempla in lucem emittuntur, in quibus morbus injurias utero matris gravido illatas secutus est. Violentam capitis compressio-nem obstetricis manu in ipso enixu, auctores veteres in numerum causarum allegare sole-bant. Haud omninò mihi verisimile videtur, lenem compressionem manûs morbum ingene-rare posse, siquidem a fortiori compressione, quam pelvis ossa praestant, minimè gigni conspicimus. Coindet huic sententiae, injus-

tè ut opinor, favere videtur. Placentinus positurae infantis in utero, capite inclinato, ortum mali adscribat. Proculdubio autem illa positura foetûs pro morbi causâ perperam habetur, quòd eâ ratione multò saepius quam accidit, excitaretur. Hildanus ex imaginatione matris, quod minime verisimile est hydrocephalum oriri inscitè credebat. Hae et plurimae hujusmodi sententiae flocci manifestè habentur; minimè igitur merent ut commemorarentur. Postremò frequentiùs accidit, ut acutus hydrocephalus in chronicum, quanquam suturae occlusae sint, convertatur. Doctor Baillie exemplum, in quo suturae firmiter conjunctae, permagnâ aquae quantitate separatae sunt, in medium produxit. Doctor Monro in praelectionibus suis, verè insigne exemplum enarrat. Secundum Quin hydrocephalus chronicus saepenumero rachitide enascitur.

Morbus è ptyalismo uberrimo, qui suâ sponte evenit, et per duodecim menses perstitit, sublatus est. Illo tempore peracto, suturae occlusae sunt, et caput suam naturalem magnitudinem recuperavit. Hinc medici huic remedio semper faverunt, et femora, dorsum, et quoque caput exulceratum, unguento hydrargyro fortiori illinere semel bisve in die, nobis persuaserunt. Praeterea submuriatem hydrargyri internè exhibitam, ut moveatur saliva, multis laudibus evexerunt. Est autem difficillimus et penè sisyphius labor in infantibus, praesertim hydrocephalicis, ptyalismum provocare.

Exempla nobis tradita sunt, in quibus hoc remedium, quanquàm salivationem non excitaverit, morbum nihilominùs expulit. Errhina, ut pulv: Asari vel Hellebori Comp: obtinuerunt; quoniam curam spontaneam accidisse, aquâ naribus abundè defluente, medici affirmaverunt. Quomodo hoc fieri pos-

set, nequaquam liquet. Vix aut ne vix quidem, liquor in ventriculis lateralibus accumulatus, cursum nervorum olfactûs per foramina cribrosa sequeretur, et hoc modo morbus tolleretur. Forsan auctae membranae Schneiderianae secretio hoc malum, non secus ac urinae copia ascitem, submoveat. Tam felix mali eventus raró expectandus est, haec enim remedia, quippe quae cerebrum quassent, atque ita morbum exaggerent, non sine periculo exhibeantur. Diaphoretica ut pulv: Ipecacuanhae Comp: et pulv: Antimonialis et diuretica, nempè pulv: Scillae cum submuriate Hydargyri, Spirit. aether. Nitrosi, digitalis, omnia usurpata sunt, et a diversis medicis curavisse feruntur. Epispastica super totam calvariam imponenda sunt, et ea ut humores detraherentur, continuatâ serie applicare nos oportet. Doctor Temple ab usu doronici, quòd uberrimam exhalationem apud caput excitaverit, nonnullos hoc morbo pertentatos ad integram sanitatem reduxit.

Quibusdam in exemplis, hirudines ad tempora multo commodo applicarentur. Riverius exemplum in medium protulit, in quo fasciâ caput totum cinxit, et sic pressurâ malum gradatim sanavit.

Doctor Hill apud suas observationes praxeos, de oxygenii usu affirmat, hoc remedium infanti immane caput habenti ita profuisse, ut ad perfectissimam valetudinem quotidiè propriùs accederit, et sanitas ex omni parte confirmata auspicatò restituta sit. Trapanationem κατὰ βρέγμα πρὸς τὸν ἐν κέφαλον, in suo secundo libro de morbis, Hippocrates, fons medicinae artis, primus admonuit. Si perficienda sit, maximè oportet, ut parvulum aquae gradatim manare sinamus, et ut posteà caput panno laneo alligemus. Brevi tempore, rursus perficiendum est opus, et toties iterandum, quoties aqua accumulatur. Intereà nos decet alvum blandissimis medicinis ducere, atque corpus tonicis, inflammationi parùm

faventibus, roborare. Quàm infeliciter trapanatio suscipiatur, illud plurimi auctores testatum eunt. Quanquàm illi mortem indè accelerari affirmant, recens tamen scriptor exemplum, in quo, insigni felicitate, morbus illâ operatione fugatus est, in lucem protulit. Hic morbus est certò periculosissimus, et ferè lethalis. Quanquàm enim Schenkius apud suas observationes medicas affirmat, quartos aegros hydrocephalo chronico laborantes, a se prorsùs curatos esse; omnia tamen conamina, qualiacunque ea sint, et quàm promptismè porrigantur, hunc morborum omnium pervicacissimum profligare, et sanitatem reducere rarissimè pollent. Verè mirum est, quantum laticis cerebrum, vel potiùs caput aliquando continere possit. Hildanus viginti etiam et quinque libras aquae intus calvariam, se invenisse affirmat. Heyman eandem quantitatem invenit. Tulpius, Hildanus, Vesalius, Morgagni, Doctor Whytt, Doctor Underwood, et etiam multi alii singula exem-

pla, in quibus cerebrum tantùm parvulae glandulae speciem induit, singuli promulgaverunt. Morgagni dicit hydrocephalum causam esse, cur foetus nonnunquam cerebro careant. Hoc aliquatenus probabile videtur, namque vasa absorbentia penè totum cerebrum haurire posse, ab exemplis jam nunc prolatis, satis superque constat.

De hydrocephalo acuto disserere nunc mihi licet. Naturam hujus speciei antiquissimi medici ex toto nesciverunt. Hanc, utpote quâ in ventriculis lateralibus aqua colligitur, Hieronymus Mercurialis apud sua opuscula aurea primus notavit. Symptomata verò ejus Petit primus descripsit; et posteà Doctor Whytt librum ex toto exquisitum in lucem edidit.

Morbum in duo stadia, nempe stadium inflammationis, vel congestionis, et stadium aquosae compressionis fert mihi animus divi-

dere. Imprimis, stadio inflammationis operam dare mihi est consilium. Paulò ante adventum morbi infans vultu hilari est, atque satis juvenatur; vires mentis magnoperè pollent, ac ingenium mirum in modum acumine praeditum est; ventriculus cibum appetit, atque constitutionem infantis ex omni parte alacritas et laetitia frequentissimè excitant; quae omnia, magnam sanguinis copiam inesse in cerebro, planè declarant. Aliquando aggressio morbi repentina, sine ullis signis praegredientibus, animam infantis citò extinguit; aliquando subita nervorum contractio jamprimùm benè se habentem de medio tollit. Frequentissimè autem quamplurimis indiciis extemplò memorandis, morbus sese exhibet. Languor, lassitudo, pervigilium, anxietas, inquietudo, superciliorum arcta non autem continua corrugatio, quod symptoma a sensu retinae praeter modum acuto originem ducit, aegrum deturbant. Somnia injucunda adsunt, quae fas est suspicari, quòd aeger inter

dormitandum repentino impetu subindè resiliit, et quòd porrò incertum vultum habet. Quamobrem quâ, quaeso, causâ, nisi sanguinis plus aequo copiâ in cerebro, hoc signum pendet? Si saliva ex dentitione ante morbi adventum abundanter manavisset; fluit, morbo ingruente, minore in copiâ, vel ex toto cessat. Nares quoque mucum raró secernunt. Urina parca, et non sine dolore fluit; atque quidem omnes secretiones imminutae sunt. Perraró infans dejicere vult. Haec signa praegredientia per multos dies perstant, et subindè leves remissiones subeunt. Nonnullis in exemplis, ab indiciis morbi manifestis inopinanter corripitur. Calor corporis atque capitis ardens, faciei rubor, sitis, albor linguae urgent. Perspiratio, quae capite aliquando copiosè erumpit, calorem capitis aliquatenus imminuit. Epistaxis perraró adest, et quippe quae ex nimio sanguinis caput versus fluxu oriatur, adjuvaret in dolore levando necesse est. Nares ita aridae sunt, ut

saepe vellicentur; dentes inter dormiendum frendent; aeger, quasi perterritus, e somno repentè expergiscitur, et ejulationem argutam edit. Pulsus est celer et durus, et ad centum et viginti, nonnunquam ad centum et quadraginta in horae sexagesimâ parte micat. Arteriae caroticae quoque fortiter micant. Sanguis, si mittatur, tunicam coriaceam exhibet. Respiratio celeris et interdum vix percipi potest. Vagitus crebri, organa auditûs, tactûs, et praecipuè visûs, multò magis quàm naturae convenit, sensu praedita fiunt. De duobus aegris, quos acumen auditûs aegerrimè vexabat, Rush nos certiores reddidit. Oculi luce amoventur, vel omninò clauduntur. Tunica adnata est admodum vasculosa. Retina solitum lucis stimulum tolerare nequit; atque igitur pupillae contrahuntur; cutis arida fit et aspera; urina plus justò fit rubrior, et malè olet. Si aeger adultus sit, delirium eum ferox invadit. Hoc nonnunquam evenit in impuberibus. Dolor caput

vexans ad nuchas usque humeros saepissimè tendit. Dolore, nullam certam sedem habente, membra excruciantur. Nausea et vomitus semper adsunt; et semel bisve in die occurrunt. Dolor capitis et vomitus sese invicem alternant. Supinus aeger jacere gaudet. Hâc corporis positione mutatâ, vel vomitus vel ejulatio statim accedunt. Si caput manibus tractetur, dolor crucians evenit. Abdomen saepè tenditur et tumet, et si regio ejus superior prematur, sensus adest molestiae. Hoc forsan, vel secundum Cheyne, ex morbo hepatis, vel secundum Yeats, ex distentione duodeni colique oritur. Interdum quidem membra extruduntur, haud longe secus ac in colicâ aut torminibus.

Smyth de abdomine compresso atque plano mentionem fecit, perinde ac si in eo cardo rei versus est. Obstipatio multò frequentiùs adest; aliquando autem diarrhoea quasi biliosa aegrum debilitat. Faeces subvirides sunt,

et quidem malè olent, spissae et in parvulis frustulis duratae, materiâ glutinosâ commixtae apparent. Saepe aestuant; raro quidem sunt nigrae, et piceae, et meconio similes. Quantò pleniores sanguine arteriae cerebri sunt, tantò magis irregularis, tardus et debilis est pulsus, et iisdem legibus irritabilitas ventriculi, et ille acutus capitis dolor, mutuò obtemperant. Cuidam infanti inflammatio tonsillarum atque glandulae parotideae, auctore Bedingfield, simul cum signis hydrocephali consuetis interfuerunt. Haec sunt plurima indicia, quae in stadio inflammationis obveniunt.

Nunc ea signa, quae ad stadium congestionis pertinent, mens mihi est enumerare; et poste de sequelâ utrûmvis statuum, nempe de effusione, perpauca verba tradere. Symptomata hujus statûs sunt adeò subdola et fallacia, ut aggressio ejus vix unquam detegi possit, neque ullum periculum minitatur, donec

penitus in aegro, ut ita dicam, infigatur. Multa pars signorum anteà citatorum ingravescit; omnia autem, quae vehementem excitationem denotant, omninò desunt. Somnolentia, marcor, torpedo, oscitatio crebra, ingruunt. Oculi hebescunt, et subindè obtutu haerent, quos infrà linea apparet livida; pupillae aliquatenus dilatantur, et segniter, lucernâ admotâ, contrahuntur. Interdum axes oculorum nasum versus diriguntur: hoc nonnunquam unum tantum ex oculis afficit. Interdum duplex visus adest; omnes sensus torpent; vultus mutationem subit, et fit collapsus et anxius; facies pallet; rubor autem interdum redit abitque fugax; lingua subfusca et sordida; corpus friget, sed saepè huc et illuc calet; caput sudor gelidus madefacit. Vomitus minus urget; quinetiam ventriculus ita torpet, in quibusdam exemplis, ut actioni emeticorum prorsus obstet. Hoc ipse bis notavi; dolor capitis obtusus; pulsus tardus, oppressus et quasi debellatus; respiratio ad-

modùm pigra et difficilis: aeger in cunis cubare vehementissimè exoptat, nunc sopor, nunc ejulatio, vicissim occurrunt; aeger arrectus sedere minimè valet; humor super labia superiora et circum nasum apparet, atque labia ipsa livent; debilitas artuum, et cervicis aegrum infestat; interdum volae manûs et plantae pedum, calent. Intumescentia quasi ex oedemate, in parte frontis superiore, identidem occurrit. Hoc symptoma Smyth primus notavit; ejulatio lugubris et pigra continuò adest. Urina sedimentum albidum furfuraceum demittit. Alvus saepissimè admodùm astringitur, spiritus foetidus evadit. Haec symptomata magis magisque vires aegri opprimunt, interturbant, atque confundunt, ideoque fatendum est medicamenta parùm valere ad cerebrum restituendum, et id ad salutem reducendum.

Quod postremò ad stadium effusionis attinet, nunc mihi licet commémorare. Omnia

signa jam nunc recensita maximè ingravescunt. Inter hoc effusionis et illud congestionis stadium ita parvulùm interest, ut non sine gravi mentis intentione distingui possint. Aeger somno oppressus jacet, et si suscitetur cunctos et cuncta nescit, et de dolore capitis solummodò queritur; os spumat; sudores locales, et rubor genarum adsunt; interdum haec gena pallet, dum altera maculis paululùm lividis operitur. Perrarò autem hae maculae ipsum corpus huc et illuc invadunt; vomitus cessat; pupillae maximè dilatantur, et vix aut ne vix quidem, lucernâ admotâ, contrahuntur; oculi humescunt, et quasi filis albidis oblinuntur; sensus videndi penitus torpescit, aeger in erecto situ caput tenere minimè valet, atque igitur sinistrorsum, dextrorsum, praecipuè autem retrorsum inclinatur; et si manibus sustentetur, manibus sublatis, subitò concidit. Id ferè continuò in orbem volvitur. Saepissimè è sopore ex improviso expergefactus, manus ad caput ad-

movet, atque, ululatibus finitis, profundo veterno iterum succumbit. Qui ululatus frequentissimè unam vel duas horas perstant, et indicium hujus stadii sunt certissimum; spiritus est foetidissimus et tanquam cadaverosus, et emittitur stertore apoplectico. Faeces, si dejiciantur, ex bile depravatâ, muco intestinorum limoso atque morbido commixtâ, constare videntur. Hinc sunt qui vermes adesse autumant, et ex his cuncta symptomata, morte imminente, exoriri inscitè declarant. Pulsus abnormi celeritate micat, saepè quidem enumerari nequaquam potest. Quò plus aquâ cerebrum opprimitur, eò plus celeriter et inaequaliter vibrat, quòd indè vires cordis adeò languescunt, ut conatibus crebris et invalidis, tantummodò officio perfungi polleant. Subsultus tendinum, deglutitio impedita, privatio sensûs et paralysis superveniunt. Identidem totum corpus cruciant convulsiones. Sphincteres resolvuntur, et faeces et urina sine voluntate redduntur; ad-

venit diu expectatum tempus, et quasi in paroxysmo apoplectico moritur. Subindè quidem mors, in ipso hujus stadii limine, celero pede venit, et extemplò necat, vel lentissimè et tanquàm cautissimè obrepit, adeò ut aeger doloribus morbi vehementissimis cruciatus gradatim tabescit et segniter animam efflat.

Multùm variant in variis stadiis hujus mali indicia; itaque morbum suspicari licet ex iis quae maximè prominent, et quae simul agunt. Meliùs verò remediis idoneis ad eum praevertendum uteremur, si morbum imminere suspicaremur, quam serò frustrà inscitiam nostram lugeremus. Medici ferè omnes uno ore pronunciant, venas atque sinus durae matris, capite recluso, sanguine refertas et obstructas inveniri. Annon igitur demonstratur morbum à venarum congestione, nonnunquam originem ducere? Aliquandò arteriae cerebri permagnâ sanguinis copiâ turgidae, et plexus choroidaeus admodùm

vasculosus conspiciuntur. Haud semel bisve tunica cerebri intima certum inflammationis praebet indicium, et plerumque uno eodemque tempore aliquantulum seri, colore sanguineo infecti, in lateralibus ventriculis reperitur.

Sunt qui dicunt maculas sanguinis arteriosi, massâ cerebrali incisâ, undique apparere; et porrò nonnulli affirmant cerebrum totum, quasi cerâ rubrâ repletum, effulgere. His in exemplis postremis, ne minima pars quidem aquae ventriculis aut membranis inest. Hinc distensio immanis vasorum, aut forsitan sanguinis pressura aegros letho dederunt.

Hoc planè demonstrat, ut opinor, certum, nescio quo pacto, limitem esse circuitioni sanguinis, ultra vel citra quam effusio nequaquam accidere potest. Idem optimè probatur in paroxysmo febris, namque inter frigidum stadium arteriae citrà secretionis limi-

tem, inter stadium ardens ultrà, inveniuntur; denique ad hunc certum limitem reducuntur, tum sudor elicitur, quo quidem corpus refrigeratur et paroxysmus finitur. Magna lymphae coactae copia nervos opticos circumdat. Monsieur Petit glandulam pituitariam admodùm duratam dicit se invenisse. In verbis Morgagni "glandula pinealis firmior, et major, et albior quosdam loculos intus habere videtur." Si stadium effusionis aegrum necaverit, copia fluidi serosi ad duas usque vel sex uncias ventriculos distendit. Innumera corpuscula, hydatides dicta, suprà faciem cerebri externam, nonnunquam etiam intus ventriculos laterales disperguntur. Glandulae mesentericae praeter modum amplificatae, alterae duratae, alterae spisso et foetido pure repletae, conspiciuntur. Hepar albidum atque magnâ ex parte morbosum apparet. Aliquandò peritonaeo huc et illuc adhaeret. Fluidum in ventriculis cerebri sani detectum, calore, acidis, et alcohole non affi-

citur. Quod autem in cerebro hydrocephalico colligitur, massam, talibus reagentibus admissis, coactam demittit. Nonne hoc maximo est argumento, quòd actio vasorum exhalantium omninò ac perversè depravata sit? Mera distensio, vel relaxatio, quae pro causâ hydropum indoctè, ut mihi videtur, habetur, hanc rem explicare nequaquam posset.

Infantes et impuberes huic morbo sunt valdè proclives, et praesertim illi quibus est diathesis strumosa, quam temperamentum sanguineum, pulchri crines, oculi coerulei, labrum superius tumidum, cutis admodùm laevis et delicata satis denotant. Annonin fantes hujusmodi constitutionis hydrocephalus saepius adoritur, propterea quòd naturâ iis sit abnormis irritabilitas. Hâc in aetate saepiùs accidit, quòd, ut opinor, cerebrum eo tempore non perfectissimè elaboratur, et quòd mutationes varias, causâ partibus corporis omnibus vim nervosam suppeditandi, continuò

subit, et quòd quo majore alacritate quaevis pars muneribus suis perfungitur, eò plus fit opportuna morbo. Hinc Morgagni in infantibus, quippe quorum vasa absorbentia in officio quàm maximè versentur, multò frequentiùs quàm in adultis collectiones aquae invenit. Puellae, auctore Morgagni, huic morbo plus obnoxiae sunt quàm pueri, quinetiam in quibusdam regionibus, multò frequentiùs quàm in aliis grassatur. Hoc, quoad mihi fas sit judicare, speciem veritatis certò induit. In hâc regione multò saepiùs occurrit quàm in Anglicanâ. Multum, ut mihi videtur, ex habitu parentum, vel morbis, vel diaetâ pravâ, vel aliis causis debilitantibus, depravato pendet. Infantes, qui ubera nutricis, malam corporis valetudinem habentis, ducunt, magis obnoxii huic malo fiunt; et quoque qui, lacte foeminae, quae est in menstruis, implentur.

Quodcunque sanguinem ad internas capi-

tis partes impellit, morbum generat. Hinc ulcera, cutaneae eruptiones, praesertim quae caput infestant, ut tinea capitis, crusta lactea; fluxus humorum ab aure postremo, opthalmia, et multa alia remediis fortibus subitò repulsa, hunc malum inferunt. Quodcunque inferiores corporis partes versus fluxum sanguinis impedit, ut glandularum mesentericarum et hepatis intumescentia, et varii in abdomine tumores morbum gignunt. Pravitas viscerum chylopoëticorum, febris intermittens, et remittens, colica, dentitio, verminatio, rubeola, pertussis, cynanche trachealis, scarlatina, et ferè omnes infantum morbi, hunc malum saepissimè excitant. Omnes medici ambigere solebant de eo quod morbum proximè inducit. Aliqui putabant ex ruptis vasis cerebri lymphaticis malum exoriri. Doctor Darwin torporem vasorum absorbentium in causâ esse existimabat. Doctor Brown ex debilitate cerebri ; Withering, Beddoes, Rush, Clarke, et plurimi alii, ex ac-

tione inflammatâ cerebri vasorum, exoriri putabant.

Omnia prima signa, ut mihi videtur, ad copiam sanguinis nimiam vel in arteriis, vel in venis cerebri, justò referri possunt. Dolor capitis, vertigo, genae rubore suffusae, inquietudo, intolerantia lucis, sensus acutus audiendi, contractio pupillae, rubor tunicae adnatae, pyrexia, vomitus ex consensu inter cerebrum et ventriculum, inflammationem adesse planè probant. Somnolentia, torpedo, pupillae paululùm dilatatae, oculi hebetiores, frigus corporis inaequale, pulsus tardus et oppressus, et multa alia, congestionem manifestè ostendunt. Pupillae varias cerebri conditiones optimè edocent, si contractae paululo stimulo facillimè arctiùs contrahuntur, inflammationem, sin autem minùs contractae, luce admotâ, segniter afficiuntur, venarum congestionem, et postremò si dilatatae vix lucis stimulo obtemperant, et si filis albidis tec-

tae, effusionem, instare pro certo habeamus, omninò licet. Porrò etiam statu pupillarum hic ab aliis morbus optimè distinguitur.

Consilia medendi quinque adsunt. Inflammationem vel congestionem cerebri minuere. Causas irritantes in canali intestinali vesceribusque chylopoëticis amoveri. Absorptionem promovere. Signa molestiae mitigare et corpus roborare. Summum remedium, ad inflammationem vel congestionem amovendam, est procul dubio emissio sanguinis. Hume suadet ut è pedibus aquâ calidâ priùs fotis, non secus ac veteres solebant, sanguinem detraheremus. Doctor Beddoes et Doctor Rush tantum sanguinis, quantum in pneumoniâ detradere monent; et certissimè hoc consilium aliquam laudem jure sibi vindicat. Sanguinem emittere è brachio, si infans annos duos natus sit, omninò licet. Sin aliter, vena jugularis, infante unum et dimidium annum nato, est incidenda; et posteà

cucurbitula cruenta ad nucham vel hirudines ad tempora admovere nos oportet. Emissionem sanguinis, duodecem vel sexdecem horis praeteritis, repetere nos decet, nisi priùs huic remedio symptoma cesserint. Si congestio venarum se ostendat, praesertim si aeger sit debili et invalido habitu, è brachio sanguinem mittere manu parciore oportet; quoniam generalis sanguinis detractio in hoc statu aegrum maximè debilitaret, et ita secretiones augeret. Detractio sanguinis duobus commodis inservit; nam inflammationem minuit, et alia remedia efficaciora reddit. Caput ad cutem tondere, et aquâ frigidâ aceto commixtâ vel aethere continuò perfundere oportet. Hoc remedium exigua vasa ad se contrahendum ciet, et irritationem feliciter minuit. Pediluvium calidum bis terve in die praecipiendum est. Quantum sit consensûs inter cerebrum et abdominis viscera et quàm saepè inter impuberes haec malè se habeant, satis superque constat. Hinc omni-

bus infantum morbis purgantia maximo usui sunt. Huic malo praesertim, ut saepissimè ex alvo astrictâ, et muneribus viscerum chylopoëticorum deturbatis exoritur, magnoperè prosunt. Principio igitur multùm convenit alvum ducere; saepè enim hoc solo remedio bis terve repetito morbus arcetur, vel penitùs profligatur. Salina purgantia, quum inflammatio adest, ferè anteponenda sunt, propterеà quòd sedes liquidas provocare, et corpus refrigerare solent, et ità emissioni sanguinis maximo auxilio sunt. Quòd si congestio adsit, purgans idoneum in usum veniet, uti submurias hydrargyri cum pulvere jalapae et quovis aromatico. Si tormina adsint, illa remedia, uti perpaucae guttae tincturae opii camp: quae tormina sedare polleant, adhibenda sunt. Positura paenè erecta esset, ut fluxus sanguinis caput versus hoc modò aliquatenùs imminuitur. Frictione per totum corpus, praesertim per extrema opus est. Ventriculus saepenumerò, ex

irritabilitate, medicinam respuit; si hoc fiat, enemata in usum venient, etsi neque tantum nec tamdiu prosint. Causâ vomitum sedandi opiata aliqui liberè exhibent. Quandò autem magnam excitationem cerebri primò adaugent, (quam actionem arctior contractio pupillarum optimè probat) multum mali inferunt. Ad hoc theâ viridi fortiori auspicatò usus sum. Interdum quoque rubefacientia ad hypochondria, ut hepar et intestina ad officium salutare stimulentur, commodissimè applicantur. Ad promovendam absorptionem, quòd est consilium si effusio adsit, epispastica ad caput, frictio cum unguento hydrargyri, et praeparata ex hydrargyro ad excitandum ptyalismum, sunt utilissima. Digitalis, spirit: aether: nitrosi, tinct: scillae et alia diuretica plurimùm quoque adjuvant. Fonticulus nuchae cum commodo applicetur, sed diu continuari debet. Doctor Smyth cauterio, bregma praesertim, inurere monet; huic parti aptissimè applicari affirmat, prop-

ter junctionem hìc loci vasorum externorum et internorum. Electricitas quoque usurpata est. Doctor Burns pulv: antimonialis utilissimum esse remedium praedicat. De signis mitigandis, nihil verbis opus est; quoniam major pars eorum ex morbo ipso pendent, nec levari queant. Summâ curâ nitendum est, ut vires aegri sustententur in ultimis hydrocephali stadiis. Ad hos et diaeta et medicina plurimùm valent. Nutrientia igitur, et tonica leniter stimulantia promptissimè et firmissimè adhibenda sunt.

Praesertim denique in hoc malo perniciosissimo principiis obstare multum est; "morbo enim inveterascente, aliquid in naturâ spei vix quidquam in medicinâ sit."

FINIS.